
cum li
re, & Corpus
ans, cum
Evang.
In Festo Epiph.
Sequ.
com.
Sequ.
festo
com.
co-
27 Sabb.



[redacted]

10 | 15 C. | 15 –
10

50
50

[illegible] und nicht fertig gelassen

E. XVI. 23



ORNAMENTUM
Pompæ Laureati Honoris
CONVENIENS
Virtuti & Eruditioni
IV. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ
CANDIDATORUM
CONGRUUM
ijsmet dum á
CLARISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. M. MICHAELE JOSEPHO REMBECKI
Philosophiæ DOCTORE Matheseos Professore Collega Minore
In Peraugusto D. Iagelonis Archilycæo in præsentia Magnorum Hospitum
Artium Liberalium & PHILOSOPHIÆ BACCALAUREI renuntiarentur
Opera
RAPHAELIS WĘGLENSKI SUBDAPIFERIDÆ Mielnicensis.
Ejusdem Primæ Laureæ CANDIDATI
In vim mutui affectûs & gratulationis ergo
DISTRIBUTUM.
Anno Salutis 1727. die 5. Aprilis.

CRACOVIÆ.
Typis IACOBI MATYASZKIEWIC.

In Gentilitium Stemma ILLUSTRISSIMÆ DOMUS ZAMOSTIANÆ.



TRiplex quando nitet claro cum Stemmate telum,
Efficit & pariter ſic renitere Domum:
Non poterat Patriæ meliùs conſurgere celſum,
Quam Zamoſcanô culmine fixa Domus
Creſce Domus titulis queìs non eſt celſior ulla:
Sic ſublimis eris cum probitate Tua.

25



ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. MICHAELI ZAMOYSKI

Supremo Venatori Regni,
ORDINATO ZAMOSTIENSI,
DOMINO & MECÆNATI
Amplissimo.



ANtiquo Heroum Victorumq; more receptum fuerat, ut sævo cruenti Martis certamine Bellonæq; artibus conquisita in prælijs spolia, & bello capta etiam Regum vel

Imperatorum ornamenta ſub haſta venirent. ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. Bellorum etenim lucra & fuſi ſangvinis pretia non commodiùs poterant, quàm ſub bellico venum exponi indicio. Haſta ideo, quæ tot pulcherrimos evicit apparatus, tanta rerum variarum tum ad Magnificentiam, tum ad commodum potita ſupellectili, tandem poſt ſedatos hoſtilium irarum motus, poſt recumbentem in unius partem victoriam, arbitra extitit ſpoliorum. Certavimus in arena IAGELONIA pro laureis literariiſq; decoribus, & favore ſuperum evincentes noſtrarum frontium ornamentum ſub Tuis ZAMOYSCIJ in publicum conſpectum exponimus ſariſſis. Hæ ſiquidem & Gradivo & Palladi acceptiſſimæ, certamen opinionum inſtaurarûnt, cuinam Orbi Politicone an Literario magis profuerint; cum in utroq; magna illarum in genus humanum meritorum ſpecimina advertamus. Hæ Polonæ gloriæ menſuræ magnitudinem heroicæ virtutis in VLADISLAO LOCTICO auxerunt, cui FLORIANVS SARIVS contra paliatam religioſâ profeſſione CRVCIFE-

CIFERORVM superbiam militans, tolerabiliorem esse vulnerum patientiam odiosa viciniâ etiam effusis (unde STEMMATI ZAMOSCANO denominatio) visceribûs demonstravit. Pene elabentem spiritum Regia VLADISLAI continuit in FLORIANO providentia, non sine præsagio vicissim ZAMOYSCIOS & vitam & honorem Regum postea in integro retenturos. Eventus hoc idem docuit, dum post HENRICI Valesij Andium Ducis effugio in hæreditariam Galliam liberi Regni subductum regimen, STEPHANVM BATHOREVM Transilvaniæ Principem à Regni Ordinibus electum PRIMVS VESTRÆ ORDINATIONIS PARENS in solio firmaverit, & consiliô ad ingentes ausus debellandæ MOSCHOVIÆ ordinaverit. Intra decennium quot STEPHANO obsidionales, tot Vrbium venêre Coronæ DVCE ZAMOYSCIO, quot laurus in algente septemtrione excrevere? ad numerum hæ redigi non possunt, cum à me requirerent dierum MAGNI IOANNIS chronographiam. Post excessum ad

superos STEPHANI frustra nitentibus ZBOROVIANIS factionibus semper suspecta Polonis AVSTRIACORVM potentia in MAXIMILIANO FERDINANDI I. CÆSARIS FILIO throno intrudebatur Poloniæ. Maluit pro justitia certans IOANNES CATHARINA IAGELONIA SIGISMVNDI I. FILIA, AVGVSTI I. SORORE, JOANNIS III. Sveciæ Regis Conjuge progenitum ex Svecia vocare SIGISMVNDVM III. quàm Austriacum jam Bohemiæ Hungariæq; possessione gravem, tertij Poloniæ Regni accessione onerare. Gratulatus post eundem Maximilianum fuisse Germanis Imperatorem secundum, sed prius liberè reclamavit, fortiter repugnavit fuisse Polonis ejusdem nominis Regem Primum. Idem fortitudine supremus Exercituum Dux, idemq; eloquentiâ supremus Regni Cancellarius, in bello, in consilio, domi forisq;, apud suos exterosq; Principes Magnus, cùm sæpè pro optimorum Regum electione laborasset, ipse Ordinatam in suo ZAMOSCANO Imperio successionem

insti-

instituit. Itaq; JOANNIS FILIVS THOMAS non absq; facunda verborum gratia vixisse debuit, vel certè eodem cum Patre animari spiritu paritèr supremus Regni Cancellarius pro Majestate Regia VALDISLAI IV. detonando. Innupta fuisse Pallas fertur, quod tandem in conjugium THOMÆ CANCELLARIJ concesserit, probare videbatur Viri sapientia, sed veriùs deduxit JLLVSTRISSIMA CATHARINA ex DVCIBVS in Ostrog THOMÆ consors, beneficiorum illius erga Vniversitatem ZAMOSTIENSEM socia, quæ si Palladem non referret, certè tanta literarum literatorumq; non extitisset benefactrix. IOANNEM ZAMOYSKI Sendomiriensem PALATINVM intra JOANNIS CASIMIRI infesta publicis periculis tempora Senatus Polonus habuit consum, ZAMOSTIA sua à Cosacis Tartarisq; defensorem. JLLVSTRISSIMVS PARENS TVVS MARTINVS ZAMOYSKI Regni ipse pretium fidei suæ commissum habens Regni

b The-

Thesaurum, Fortunam Polonæ felicitati obsequi Ducum Heroumq; progenies imperavit. AD JLLVSTRISSIMVM FRATREM TVVM Natu Majorem THOMAM JOSEPHVM devoluta Ordinatio, quantum fata permisere tantum cum gloria animo sublimium capaci directa, modo desiderijs & votis omnium ad Te JLLVSTRISSIMVM devoluta MICHAELEM gaudet re & nomine Te sui Principem adorare. Pondus ZAMOSCANI Jmperij quam bene in stateram & nominis & judicij Tui venit, sub MICHAELISq; Gladium se se recepit latèpatentis Dominij integritas, jam optimè Maiorum Tuorum Ordinatè sibi succedentium hastis propulsata. Sub eadem etiam laureata nostrum cupiunt ire ornamenta: nam cum soli sub illis victoriarum triumphorumq; pateant cāpi, ibidem laurus Academicæ crescere ducunt consentaneum. Feracissimum est benevolentiæ ZAMOSCANÆ erga literas solum, vel teste coram toto Orbe Dominij Tui Metropoli, in qua MAGNVS

JO-

JOANNES in æmulationem CAROLI MAGNI qui Parisijs, CAROLI & FERDINANDI qui Pragæ, JAGELONIS qui Cracoviæ excitarunt Vniversitates, ipse Academiam instituit, institutam privilegijs Summorum Pontificum, Serenissimorum Poloniæ Regum Serenissimæq; Reipublicæ, *de his omnibus optimè meritus, munijt firmavitq;.* Continuans *Tu erga celeberrimum in Russia Gymnasium gratias & favores MAGNI FVNDATORIS, facile indè adventantes admittes in benevolentiæ gremium laureas, undè primitùs in illud MAGNVS JOANNES evocavit laureatos. In ACADEMO inquam Cracoviensi quæ concessum nobis legere decora, eadem ut tutiùs in publicum prodeant conspectum, sub protectione ARMORVM TVORVM ire exambiunt. Nempè dum concedis ILLVSTRISSIMVM Nomen Tuum operi huic præfigi, tantum addis momentum, quantum vix aliorum sæcula pararent illi ornamentum. Quarè* sub triplici hasta Tua *& ad præsidium & ad decus con-*

b2 *cede*

cede laureato honori præludium, fortius, taliter benevolentia Tua Armatis in Arena literaria certaturis, è quorum pari numero ego elogijs DOMVS TVÆ JLLVSTRISSIMÆ Tuisq; impar æternum me obsequij illius damno.

ILLVSTISSIMÆ ac EXCELLENTISSIMÆ Dominationis Vestræ.

Humillimus servus

Author Operis.

Poli, Poloniæ & Poloni
Archilycæi
ORNAMENTO
D. JOANNI
CANTIO
In Alma Vniversitate Cracoviensi Sacræ Theologiæ
DOCTORI & PROFESSORI
CARMEN VOTIVVM.

VSq; quòd splendet Borealis ora
Et clima nostrum rideat quòd almo
Multa post casûs varij pericla
Ordine rerum.
Sorte non factum id propriovè Marte
Sed poli dono, superumq; nostris
Qui venustatem tribuere largô
Munere terris.
Quippe Sanctorum numerô receptos
Nostra quos tellus reveretur, horum
Gratiâ seruat nitidum decorem
Tempore quovìs
Pestis instanti metuenda tabo
Iam decus cunctum temerasset olìm,
Iam minax Mavors facili ruinæ
Cuncta dedisset.
Si favor nobis superum deesset,
Qui pium dando Patriæ levamen,

Omne conſervant ſolidè venuſti
Pignus honoris.
Inter hos fulges medius coruſci
Luminis plenus Pater o Beate,
Quem arctus erga nos amor urget, hæc ut
Commoda ſerves.
Palladi quondam dedicaſſe conſtat
Te Tuam mentem, ſtudioſiore
Vt Scholas regas animo, Lycæi
Gloria Noſtri.
In Tuis portans humeris Togatum
Pondus, aſt nunquam fueras fatiſcens,
Vt dares Nobis documenta, quod nos
Ardua ſpectant.
Dura jam Noſtro ſituentur armö,
Dummodo exornes rigidum laborem:
Sudor in gemmas abeat jubente
Iſta IOANNE.
Tu decus Cæli, decus atq; terræ
Nos potes pulchris redimire lauris,
Serta cum magno tribuere plauſu
Tu potes unus.
DOCTOR inſignis, Sapientiæq;
Norma, clareſcens probitate morum,
Si Tui ſparges minimum decori,
Enituimus.

Vota o CANTI meritò corona,
Evocant quæ Te precibus modeſtis;
Mutuò Noſtræ Tibi dedicamus
Tempora vitæ.

Clarissimis & Excellentissimis Dominis
DD. EXAMINATORIBVS,
Clarissimo & Excellentissimo Domino
D. M. CASIMIRO
PAŁASZOWSKI
Philosophiæ Doctori, Tyliciano Eloquentiæ Professori, Collegæ Majori, ac interea Philosophicæ Facultatis
DECANO.
Illustri Clarissimo & Aamodum Reverendo Domino
D. M. PETRO
GOSZKOWSKI
Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio & Cursus Vladislaviani Professori, Canonico S. ANNÆ, in Frydrychowice & Przybrac Curato.
Clarissimo ac Excellentissimo Domino
D. M. MICHAELI IOSEPHO
REMBECKI
Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Matheseós Ordinario Professori.

PLAVSVS CLIENTALIS.

Nil tam Lycæum, nil celebres Scholas
Ornare constat, quàm faciles Viros,
Qui mentis arcanæ recessus
Efficiant alijs apertos.
Non indè solers evehitur Plato
Quod Nave vectus per Siculum Mare,
Exlex rosis illi Tyrannus
Quam rubeis decorans paravit:

Nec ſumit almam laudis adoream
Auriga vexit quem Dyoniſius,
Ponti relinquendo procellas
Ad ſuperas peteretur Arces.
Illi reſurgit gloria maxima,
Quôd clarus Orbi dotibus ingenî,
Mox mente Divina Tyrones
Non dubiè potuit docere.
Linqvo Neronis gemmiferas domos,
Et ſperno conſtans Attalicas opes,
Compos ſatis magni decoris
Cùm celebres veneror Magiſtros.
Vos eſtis inquam, ſe quibus obtulit
Probanda noſtrum dos tenuis ſatis,
Vos qui poteſtis ſcire vires,
Quid valeant tolerare, quid non.
In quanta priſcam Lechiadum Scholam
Virtute veſtrâ gaudia tollitis,
Cum quiſq; Veſtrum lynce cernit
Et minimas magis arte mendas.
Princeps coruſco murice ſplendide
Quinimo factis ſplendidior Tuis,
Te Muſa PAŁASZOWSKI adorat
Imperio pariter labore
Primum; nec Atlas ſuppoſuit poli
Tam fortes unquam ſtellifer axibus
Vt Tu Scholaſtico lacertos
Non renuis dare promptus Orbi.
Bis tincta fulget Purpura defluo
Sudore docto vertice de Tuo:
Hac Arte præclara videris
Invidiam Tyrijs movere.
Quam Sidon ergo texere blatteam
Optat, parabit vix pretij paris
Cum dote ſudoris profuſi
Fronte Tua Sapiens DECANE.

Si posset unqam viva Scientia
Cerni, suummet non aliter mihi
Vultum referret Tu venusta
Quam renites facie periti.
Sed malo rumpi verba silentio
Sequiq; famam calce modestiæ
Ne plausus Orbis literati
Vnus ego temerare credar.
Nunquam pigebat nos mediæ dare
Pugnæ Sophorum præmia frontibus
Vt carperemus, tum corymbi
Temporibus mereremur umbram.
Te quando nobis in studijs Ducem
Reddis secundum suppetias ferens
Clientibus GOSZKOWSKI opimis
Sic spolijs potiemur ob Te.
Certos canemus prælia post stata
Sub Te triumphos & caput inclytis
Cernent coronatum Tyrones
Muneribus Patriæ Minervæ.
Nam laureatus crescere tunc honor
Censetur aurô cum riguê polus
Per arva, per campos patentes
Præcipitat pluviam decentem.
Cum nata Pallas de cerebro Iovis,
Fluxisse constat par pretium Polo:
Tu fronte sudores solitos
Eliciens, facies virere
Lauros amænas, aurea munera:
Hinc propter almos fat titulos suos
Omni magis præstans honesto
Laurus erit pretium laboris.
Hæc cura nostras hoc studium premit
Mentes, ut Orbis nos videat bono &
Pulchro statu nunc constitutos
Cùm superest nova vita nobis

Ducenda; docto dum numero Virûm
Iungemur axes flecte benignius
Nostro bono REMBECKI Eoos
Qui medijs spatiaris astris.
Pro laureatis nec titulis precor
Ledæa nobis sidera prodeant,
Hæc sæpè multis dant sinistrum
Quando polis oriuntur omen.
Tu Lumen almum, Tu nitidum decus
Accendis Orbem luce scientiæ.
Iam jam polos non stupemus
Quos tribuis faciles aruspex.
Cum tanta nobis gratia vestra dat,
Votum Clientûm pectore suscitat;
Vt post honorum cursus amplos
Plus Pilio numeretis ævi.



ORNAMENTUM
Pompæ Laureati Honoris CONVENIENS, Virtuti & Eruditioni IV. VV. DD. Primæ Laureæ CANDIDATORVM CONGRVUM. II. V. D. SIMONI RVDZKI. Palmata Vestis Triumphalis

PRomptiùs in totum dum verto lumina mundum
Dum tersam partes in cunctas flecto pupillam,
Con-

Concitus exacto recreor mox ordine rerum
Quippè aliam faciem video, quàm tempora Pyrhæ
Monstrabant, vel cùm Thebanæ conditor urbis
Dulce canens saltu sylvas & saxa movebat.
Nunc altis pulchræ consurgunt turribus arces,
Regnaq; sub certis vivendo legibus almâ
Pace vigent, Civesq; suos ad dura laborum
Accersunt, illis priùs ast sua præmia monstrant.
Nam mercede labor quævis sua pondera tollens
Fit levis & nullâ prorsus gravitate notatur.
Te RVDZKI docto quidnam protraxerit Orbi
Quidnam Palladiæ turbæ dare nomina jussit,
Fronteq; sudores crebrò profundere salsos.
Laurigeræ frondes nostri placuere Lycæi
Nam Tibi, sic studium vovisti Teq; Minervæ
Laudo animum, mentem certè sublimibus aptam,
Qui calcans molles violas, humilesq; miricas
Ad celsas potiùs præfers contendere lauros.
Ingenium celebrat Pallas, nec ferre recusat
Munera, quæ doctâ constat Te mente parasse.
Quas ergo lauros gignit Parnassea rupes,
Vel Dodona fovet, pridem sacrata Tonanti
Has tibi concedunt in doctæ præmia frontis.
Nec satis est ornare caput, nil dignius ut Tu,
Te totum videas pretio renitere corusco.
Hinc vestis palmata Tuô resplendeat artu:
Nam meritus dici victor: jam cerne triumphum
Quo Tibi cum lauro videatur cedere palma.



III. V. D. IOSEPHO MICHALSKI
Latus clavus Vestis Senatoria.

HVc Fama pennis prepetibûs veni,
Et quæ per Orbis transvolitas plagas,
Consiste nostro sub Lycæo,
Hinc plurimum relatura multis.

Pulchræ virescunt dic quibus in locis
Feliciori germine laureæ
His, quos Iagelonum propago
Inseruit patrio sub astro.
Quarto labuntur tempora seculo
Ingens dierum copia o DEVS
Nec læsa laurus, non edaci
Dente fuit temerata secli.
Mater renascens Alma Academia
In prole docta, tam benè provida
Est laurearum quovis ævo
Non fit inops dare dona doctis.
Vt ornet & Te sufficiens habet
Munus MICHALSKI, quem tenerum licet,
Dignis Viro signis honestans
In gradibus jubet artis esse
Adjungo lauris hæc Tibi munera,
Quibus refulgent & Patriæ Patres:
Noscens juventutem peritam,
Posse senum retinere jura.
Amore fervens Tu Sapientiæ
Præstante multis es prior indole
Vtrumq; procertò colendum
Quod teneas bona sparsa solus.
Exempla Majorum assiduus lege:
Hi nam sat almo culmine dum nitent,
Te Te Nepotem Teq; natum.
Par pretium cupient habere.



IV. V. D. STANISLAO GISZKOWSKI.
Basilicon Vestis Regia.

VIrtus percelebri nomine splendida,
Nunquam visa gravem pauperiem pati,
Semper dives opum, tristis inopiæ
Omni nescia tempore

Incu-

Incusent alij fata prementia,
Vel casus varios, ingenuam nihil
Virtutem legitur lædere perfidum
Sortis nam superat dolos.
Se Regum sociam, putat & æmulam
His qui Magnifico stare sciunt loco,
Hinc spernens laceris vestibus integi,
Ostrum mox superinduit.
Jam seres peragrans jam Tyrios vocans,
Per tot dividui regna meat soli
Et tentat fluidi remigium maris,
Virtus provida commodi.
GISZKOWSKI hanc avidè quando parat sibi,
Quando se medijs Insinuat Sophis,
Vt præcepta sciat vivere consonè,
Ad nutum sapientiæ.
Illius studium pulchra merebitur
Ornamenta satis Palladis & bono
Voto, laurigera fronde caput tegens
Illud reddet amæniùs.
Pollens egregijs ingenij modis,
A Musis capiat Regia munera
Hæc virtute proba, tum fluido stylo
Dicendi meruit sibi.
Cum Regum tineæ parcere purpuris
Nollint, ne timeat damna scientiæ,
Hoc semper decus est omnibus altius
Quæ fati metuunt plagas.



IV. V. D. RAPHAELI WĘGLENSKI.
SVBDAPIFERIDÆ Mielnicensi,
Primæ Laureæ CANDIDATO.
Autori Operis.
Abolla vestis Militaris
à SIMONE RVDZKI.
Offertur.

PRæter Palladiæ quæ nobis præmia dextræ
Adveniunt, etiam munera cerno Tua.

D Illa

Illa coronatas poſcunt dum reddere curas
Noſtra Tui ſtringunt pectora dona ſibi.
Det nitidas lauros ſuperaddat ſerta Minerva
Ad decus hoc Capitis, ſplendida veſtis opus.
Nam ſcio quod Muſam cum lauris ornet Apollo
Poſcit ut incedat chlamide pulchra Soror
E manibus Fratris decuit deſumere munus,
Mutua ſed tandem dona referre decet.
Sub Zamoyſciadum certus victricibus haſtis,
Qua Miles tegitur cedat Abolla Tibi.
His Ducibus felix quos non merebere triumphos
Quod ſpolium laudis quæve trophæa leges.
Roxiacis Studium Zamoſti dum perficis oris;
Sarmaticis recipis laurea ſerta Scholis.
Nec poteras meliùs doctis conſulere rebus,
Quàm linquens rivum mergere fonte jubar.
Quæ diſperſa alibi, noſtrum collecta Lycæum
Proponens, aptè quemq; docere poteſt.
Quemq; valet brevius pulchras adducere lauros
Sint alibi prolixæ haſce parare viæ.
Sed cum ſceptriferæ Tu ſuſcipis eſſe Minervæ;
Auſibus Alma Tuis ſponte corona venit.
Quippè etiam Miles quondam dum ſcànderet urbem
Primus Romanis talia dona tulit.
Qui Primus merito, ſis nobis ordine primus,
Primus & in celſo ſemper honore vige.
Nam qui pro lauro, noſtras tum carmine vires
Fers Heros, cedent omnia celſa Tibi.

Permiſſu
Magnifici Domini
RECTORIS.

XVI. 23



624044 Bibliotheca 120006.
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



06956


E. XVI. 23



624044 **Bibliotheca** 12000 b.

P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



06956

Lect. 1, Noct. *de*
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) ... CA. Vesp. à Cap. ...

SS. Mart. ...